



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, M.DCCXI

§. II. Responsio M. Palanci.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84777](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84777)

monio Dei obscure propositio, et si evidenter credibili: ergo &c.

Contra 4. quia sicut aliarum virtutum actus non tantum sunt liberi, ut fiant ex hoc, vel illo motivo, ex. gr. amor Dei non tantum est liber, quatenus esse potest, vel ex Dei bonitate ut sibi bonum, vel ex eadem ut mihi bonum, sed etiam est liber in se libertate exercitij, & contrarietatis, & non tantum purae diversitatis, quatenus voluntas est libera amare, & non amare; amare, & odisse; ita hoc idem dicendum est de actu fidei, quatenus intellectus iudicans evidenter credibilem existentiam revelationis, est liber credere, & non credere, credere, & discredere, ut bene Herinx *tom. 3. d. 7. an. 11.* & P. G. Hurt. *diffic. 7.* cum fides non sit minus meritoria, quam aliae virtutes. Sicut ergo libertas in his, ex. gr. licet evidens sit melius esse amare Deum, quam non amare, vel odisse, est ad extrema opposita contradictoriae, & contrarietatis, non autem est ad actus tantum diversos ex diverso motivo; & sicut evidenter, quod melius sit amare, quam non amare, vel odisse Deum, non tollit a voluntate libertatem exercitij, seu contradictionis; & libertatem specificationis, & contrarietatis, non autem purae diversitatis; potest enim amare, & omittere amorem; potest amare, & odisse Deum: ita etiam Fidelis liber erit ad actum, & non actum fidei; ad actum fidei, seu assensum circa articulum verum, & assensum circa articulum falsum. Evidentia enim de credibilitate Incarnationis non facit evidentem Incarnationem, sed unice facit evidenter credibilem; eaque evidentia credibilitatis necessitat quidem intellectum ad iudicium evidens de credibilitate, quod iudicium non est actus fidei; non autem necessitat ad iudicium de existentia Incarnationis; quia adhuc dato iudicio evidenti de credibilitate existentiae Incarnationis, intellectus est liber, tum ut credat, datur Incarnatio; tum ut omittat hunc actum; tum ut credat, non datur Incarnatio. Contra 5. quia haec doctrina pugnat cum priori: vel enim intellectus est determinatus ad credibilis, & sic caret libertate specificationis; vel non? & sic assentiri potest minus credibili, & minus probabili. Dices cum M. Mercor. intellectum esse liberum libertate specificationis, ut credat minus credibile, quatenus potest desecere magis credibile, & magis considerare, aut unice considerare minus credibile, & dein credere. Sed contra 1. quia hoc modo ligatus erit liber, quia in sensu diviso a catena potest currere; quae responsio ijs omnibus impugnat. Tom. I.

nari potest, quibus libertas Praedeterminantium. Contra 2. quia talis libertas specificationis datur etiam in habente evidentiam, nam potest Mathematicus abstrahere intellectum a tali demonstratione, & considerare oppositum; libertas autem, quae a Theologis tribuitur fidei Divinae, toto Caelo differt a libertate, quae tribuitur scientiae. Tertiò, quia intellectus debet simul cum motivo vis fidei, & haereticus habere potentiam ad credendum magis, vel minus credibile, & ad credendum verum, & falsum divisim; doctrina autem Mercori tollit similitudinem potentiae ad utrumque, & unice concedit credendi potentiam in sensu diviso a motivis credibilibus; quo modo Mathematicus habet potentiam negandi demonstrationem in sensu diviso ab evidentibus praemissis. Quae autem libertas est ista? Sane nulla: ergo vel intellectus non habet libertatem specificationis quoad credere, vel si habet, ut habet immediatam in alijs actibus meritorijs, habebit etiam immediatam ad actus fidei, adeoque assentiri poterit minus credibili.

Quintam impugno 1. quia in subdito saepe est impossibile hoc iudicium, iudico esse verius, quod jubet Praelatus. Contra 2. quia obedientia stat cum iudicio proprio dictante non esse probabilis, quod jubet Praelatus; et si simul etiam iudicare possit esse probabiliter honestum, quod jubet.

Omitto impugnare, quae tradit *art. 7.* ubi docet, quod si una ex duabus opinionibus sit aliquanto probabilior altera, non poterit intellectus assentiri probabiliori, quia tunc dubitat, & una enervat aliam. Sed contra; quia haec omnia satis rejecta sunt tota sectione. Hoc tantum scio, quod si quae ex M. Mercor. retuli hoc §. sunt vera, nullus Haereticus erit formalis, quia omnis assentitur semper credibili: erit quidem ignorans, quatenus assentitur articulo falso, quem putat esse credibiliorem, non tamen erit Haereticus ob dictam rationem. Rursus omnis peccator erit Haereticus, quatenus per errorem iudicat melius esse nunc furtum non furto.

§. II.

Responsio M. Palauci.

S U M M A R I U M.

Docet fidem esse liberam non immediate, n. 360.
Docet Haereticum ideo peccare haeresi formali, & imprudenter assentiri suis sectae, quia ex eius culpa apparet credibilior, n. 361. 362.
Docet, quod temere iudicans, putet se gravissimam

similationi niti, qua talis apparet illi ex passionem, n. 363.

Docet, quod ut actus sit liber, si sit imperatus, non est necesse, ut eodem, & pro eodem instanti possit existere, quo est potentia, n. 364.

Ait, argumentum ex Immac. Conceptione plus virulentia continere, quam efficacia, n. 365.

Ait, post Decretum Alex. VII. esse illicitum disputare, an Deipara fuerit cum labe concepta, n. 366.

Ait, PP. Dominicanos, vel supponere opinionem piam esse probabiliorum, vel, suspensio examinatione probabilitatis utriusque opinionis, celebrare Conceptionem ex sensu, quo Ecclesia, n. 367.

Ait, licet non sit de fide, quod Deipara Conceptio non sit sancta primo animationis instanti, est tamen de fide, quod sit sancta in eo sensu, & pro eo instanti, quo Ecclesia eam colit, n. 368.

Impugnatur, à n. 369.

Nolle considerare motiva nostra, est actus voluntatis; ergo non potest esse hæresis, n. 370.

Cur actus nixus motivo, quod ex inconsiderantia oppositi apparet credibilis, non sit hæresis formalis, fuisse à n. 371. ad 376.

Sicut alijs virtutibus inest libertas immediata contrarietatis, ita fidei, à n. 372.

Non daretur iudicium temerarium, n. 376.

Actus liber debet esse eo instanti, licet non omni eo instanti, quo potentia, n. 377.

Omne constituens potentiam proximam liberam debet componi posse cum actu & alias fides non foret libera, nec hæresis, nec assensus, nec dissensus opinativus, late à n. 376. ad 380.

Tota libertas immediata erit circa motiva, n. 381.

Et si non liceat disputare, an liceat opinari? n. 382.

Contradictio Palanci, n. 383.

Alibi requirit iudicium directum de veritate rei; hic dicit, satis esse iudicium de probabilitate, n. 384.

Laudantur PP. Dominicani, n. 385.

Ostenditur efficacia argumenti ex Immac. Conceptione, à n. 382. ad 386.

N.
360.
Palanc.

Postquam Palanco qu. 26. à n. 110. cum communi TT. supposuit fidem Divinam esse liberam non tantum libertate contradictionis, quatenus Fidelis potest credere, & non credere, sed etiam contrarietatis, quatenus potest credere mysteria fidei, vel credere errores oppositos, ait 1. actum fidei esse liberum libertate tantum mediata, non immediata contrarietatis; id est, actus fidei non est ita liber, ut stante consideratione articulorum nostræ fidei, intellectus possit

proximè assentiri illis, aut positivè dissentiri illis, credendo errores oppositos; sed tantum dissentiri potest non consideratis fidei nostræ motivis; atque adeo intellectus considerans motiva fidei ut credibilia, non potest immediatè assentiri articulo falso, sed tantum mediata, quatenus potest non considerare nostræ fidei motiva, & considerare motiva opposita tamquam credibilia, & sic assentiri his motivis oppositis propositis ut credibilibus.

Ait 2. à n. 118. ideo Hæreticum dissentiri N. imprudenter nostræ fidei, & assentiri imprudenter suis erroribus, quia ex culpa Hæretici apparent ei nostra mysteria, dum illis dissentitur, minus credibilia & ex ejus culpa proprii errores, dum illis assentitur, apparent credibiliores; voluntariè enim negligit considerare, ut debet, nostra mysteria, quæ bene considerata, apparerent illi credibilia, & tunc non posset, stante hac maiori credibilitate, dissentiri nostris mysterijs. Hinc n. 119. dicit, quod nolle considerare fidei motiva, non sit peccatum hæresis formaliter; est tamen, inquit, casualiter proximè, quia inde immediatè oritur, quod ejus errores appareant ei magis probabiles, & illis assentiat, qui assensus erroneus, est formaliter peccatum hæresis voluntarium in causa immediata, oritur enim ex eo, quod ad fidei motiva attendere nolit. Idem repetit n. 124. dicens Hæreticos ideo peccare peccato hæresis formaliter, quia suis erroribus adherent, & eos credibiliores judicant, non præmissâ comparatione motivorum pro suis erroribus, cum motivis nostræ fidei pro suis mysterijs. Et n. 127. ait, quod Hæreticus formalis, dum actu fidem negat, habeat quidem motivum sufficiens pro credibilitate mysteriorum fidei, sufficiens, inquit, conditionate, & remotè; & quod ex culpa ipsius Hæretici, non est proximè, & absolute sufficiens, quatenus ex commodo rei temporalis, aut odio in Ecclesiam, aut ex aliâ passione non vult serio considerare, & conferre nostra motiva cum suis.

Ait 3. n. 128. quod temerè judicans putat N. se gravissimæ rationi inniti; quia tamen ea ratio illi apparet gravior ex defectu considerationis debitæ motivorum stantium pro iudicio opposito; ideo peccat, & temerè judicat. Quare temeritas iudicij non consistit in eo, quod nitatur fundamento levî, & quod judicet contra motiva apparentia actu graviora, sed in defectu considerationis debitæ motivorum oppositorum.

Ait 4. à n. 136. libertatem fidei, & opinionis satis superque salvari per hoc, quod

dum intellectus urgetur motivis æqualibus, possit eo instanti velle assentiri cuiuslibet pro instanti sequenti; non autem necesse est, ut possit assentiri eodem instanti alterutri ex motivis. Ratio est: quia ut actus aliquis sit liber, non est necesse, quod in eodem, & pro eodem instanti, in quo est potestas, possit existere actus; si sit actus imperatus; qui enim sedet, dum sedet, habet libertatem proximam ad surgendum, & tamen non potest in eodem instanti, & pro eodem instanti surgere, sed solum immediate post: ergo à pari ut homo sit liber credere hoc, aut illud, dum actu considerat motiva utriusque, non est necesse, quod possit assentiri pro eo instanti, quo considerat motiva contraria partis affirmativæ; ut validiora, sed sufficit, quod possit velle pro eodem instanti assentiri affirmativa, & ex hoc velle, sequatur immediate post suspensio considerationis pro negativâ, & consequenter ad defectum dictæ considerationis sequatur assensus affirmativæ.

Ait 5. n. 139. argumentum ex opinionibus contrariis circa Immaculatam Conceptionem, quod Teril. & Moyam celebrant, plus virulentia continere contra Dominicanos, quam efficaciam contra suam sententiam; & n. 140. redarguit P. Moyam dicentem, Dominicanos adhuc sentire Deiparam in originali conceptam; & querit ab eo undenam hoc sciat, nam animi sensus non nisi per os dignosci potest: sed PP. Dominicani post Alexandri VII. Decretum nunquam asserere Deiparam in originali conceptam, licet aliqui hoc ante illud Decretum asseruerint: ergo perperam P. Moya docet eos ita sentire. Dein ut argumentum solvat, negat suppositum, nempe, quod liceat disputare, an necne Deipara sit in originali concepta; eo enim ipso, ait n. 139. quod Ecclesia silentium illis indixit, ne partem, quam omni PP. Dominicani defendebant, publice proferant, eo ipso non licet, nec asserere, nec probabilius iudicare esse in peccato conceptam; & esse minus probabile, quod sit sine peccato concepta. Qui enim, inquit, hodie defenderet, quod sit minus probabilis opinio negans esse in peccato conceptam; & quod sit magis probabilis affirmans esse in peccato conceptam, absque dubio contraveniret Decreto Alexandri hoc prohibentis: ergo cum PP. Dominicani sint obsequentissimi Ecclesiæ filij, non asserunt, nec defendunt opinionem piam pro Immac. Conceptione esse minus probabilem oppositam, nec hoc putare possunt, stante in sua vicinato Decreto. Quare subdit præsumendum esse, quod opinio pia, vel sit illis longè

probabilior; vel suspensio examine probabilitatis utriusque opinionis, tam piæ, quam minus piæ, Deiparæ Conceptionem celebrari eo sensu, quo celebrat Ecclesiæ, abstrahendo ab opinionibus inter DD. controversis: etsi enim non sit de fide Conceptionem primo instanti animationis fuisse Immaculatam, adeoque nec sit de fide Deiparæ Conceptionem esse dignam cultu hyperdulæ in eo instanti; attamen de fide est Deiparæ Conceptionem esse sanctam, & cultu hyperdulæ dignam in eo sensu, & pro eo instanti, pro quo, & in quo Ecclesiæ Catholica eam colit; ac proinde securius, & certius in hoc sensu colitur, quam secundum hanc, vel alteram opinionem. Quare concludit esse sibi incredibile, quod PP. Dominicani post Alexandri Decretum asserant, quod opinio pia adhuc sit ipsis minus probabilis.

Impugno primam omnibus quæ adduxi N. contra Merc. cur enim negatur fidei libertas 369. immediata contrarietatis, nisi præcise, ut neget intellectum esse immediate liberum, ut assentiat errori proposito eo instanti ut minus credibili, immò ut prudenter incredibili?

Secundam impugno; quia nolle considerare motiva nostræ fidei, quæ considerata ut debent, apparerent evidenter, & unice credibilia, non est peccatum hæresis formalis, sed infidelitatis; ut enim velle considerare motiva nostræ fidei, ob quæ apparet unice prudenter credibilibus, non est fides formalis, nam fides est actus intellectus, illa autem volitio est actus voluntatis; ita nolle considerare illa, sed velle considerare opposita, ob quæ articulus falsus apparet credibilior, non est hæresis formalis, hæc enim est actus intellectus, illa autem volitio est actus voluntatis. Dicere autem, quod actus intellectus nixus motivis stantibus pro articulo falso, & ob quæ apparet credibilior articulo vero, ex culpabili non consideratione motivorum, quæ stant pro articulo vero, sit hæresis formalis, est nihil dicere. Tum quia assensus ille erroneus, quem Palanco n. 119. ait esse formaliter peccatum hæresis, nititur motivo credibili: sed assensus nixus motivo, quod ex culpabili non consideratione motivorum nostræ fidei, apparet credibilis, non potest esse peccatum hæresis formalis: ergo dictus assensus erroneus, nixus motivo viso credibili ex culpabili inconsiderantia motivorum veræ fidei, non potest esse hæresis formalis. Minor probatur, quia licet illud motivum, cui nititur assensus erroneus, appareat credibilis ex culpabili

pabili inconsiderantiâ motivorum verâ fidei, attamen nulla est culpa, immò juxta Palanco datur necessitas assentiendi credibili: ergo licet assensus ille erroneus sit peccatum in causâ, quatenus Hæreticus considerare non vult motiva verâ fidei, nullum tamen est peccatum in se; ergo dictus assensus erroneus non est peccatum formale in se, sed tantum in sui causâ; ergo dictus assensus multo minus est peccatum hæresis formalis in se. Tùm quia assensus erroneus nixus motivo, etli ex negligentia culpabili, credibili, nititur motivo credibili; & ita nititur, ut stante illâ maiori culpabili credibilitate, Hæreticus non sit liber credere oppositum, quia intellectus stans inter magis, & minus credibile, tenetur, si assentiri velit, assentiri credibili, ut docet Palanco: ergo per talem assensum erroneum non est formaliter Hæreticus, quia ad illum tenetur, si ejus motivum sit, etli ex culpâ, credibilis; sed unice erit Inidelis, quatenus negligit considerare motiva verâ fidei, quæ considerata apparerent credibilia.

N. 372. Tùm quia absque omni ratione, & præcisè ut defendatur, quod intellectus non possit assentiri immediatè objecto minus probabili, & minus credibili, negatur in Fidei, & in Hæretico libertas immediata contrarietatis; si enim hæc admittitur in omni virtute, nam amans bonum delectabile præ honesto, adhuc judicat maius bonum esse bonum honestum, quam bonum delectabile, & tamen adhuc stante eo iudicio habet libertatem immediatam ad amplectendum bonum delectabile, quod judicat minus, & contrarium bono honesto; cur hæc libertas immediata contrarietatis negabitur in materiâ fidei? Ergo licet Hæreticus judicet suum articulum esse minus credibilem, & oppositum esse credibilem, adhuc hoc iudicio stante poterit per errorem assentiri suo, & dissentiri nostro. Quare argumentum Palanci probat quidem, quod assensus erroneus præstitus objecto ex culpâ credibili, sit culpa, quod fatemur, nam est culpa in causâ, quatenus Hæreticus culpabiliter negligit considerare, ut debet, nostræ fidei motiva, & ideo suæ sectæ motiva apparent illi credibilia. At non probat, quod assensus præstitus objecto apparenti ex culpabili negligentia credibili, sit culpa in se; immò juxta Palanco volentem, quod intellectus teneatur assentiri credibili, ita ut non possit assentiri minus credibili, non potest ille assensus esse culpa in se. Rursus non probat, quod assensus erroneus præstitus objecto ex culpâ credibili, sit hæresis for-

N. 373.

N. 374.

malis; tum quia omnis hæresis formalis est formaliter, & immediatè in se peccatum; sed ille assensus est tantum peccatum in causâ, nempe in culpabili negligentia Hæretici nolentis considerare motiva nostræ fidei; ergo ille assensus non est hæresis formalis: tum quia tota ratio peccati in eo assensu procedit ex nolitione considerationis motivorum nostræ fidei; sed talis nolitio non est hæresis formalis, est enim actus voluntatis, & ad summum est peccatum infidelitatis; ergo talis assensus erroneus nixus objecto apparenti, ex culpâ, credibili, non est hæresis formalis.

Confirmo: quia ex Palanco tenemur conformari nos dictamini vincibiliter erroneo: ergo licet sit culpa nolle considerare verâ fidei motiva, suppositâ tamen eâ non consideratione, & maiori credibilitate articuli falsi ex eâ ortâ, nulla est culpa articulo falso assentiri; ergo si nulla nova culpa adest, nulla quoque hæresis formalis erit in eo assensu, nam volitio non considerandi veræ fidei motiva, ad quam inconsiderantiam sequitur, quod articulus falsus videatur credibilior, non est hæresis; similiter non est hæresis formalis, sed ad summum materialis, (nam non est peccatum in se formale) assensus ille erroneus præstitus objecto, quod ex culpâ apparet credibilis.

Tertia impugnata manet ex dictis; nam nullum iudicium esset in se formaliter, & immediatè peccatum, sed tantum in causâ, proponente tanquam gravius fundamentum, illud, quod in se est levissimum.

Quartam impugno; quia ea doctrina totam libertatem evertit, & non est ad rem. Non est ad rem; quia nemo dicit, quod ut actus sit liber, debeat poni eo omni instanti, quo est potentia, sed satis est, ut actus sit eodem instanti cum suâ potentia liberâ; ita sessio, etli consequens ad volitionem sedendi, est libera, quia stat cum ipsâ volitione eodem instanti; etli sessio non sit omni eo instanti, quo volitio, nam volitio est prior sessione. Evertit totam libertatem, quia ut actus aliquis sit liber, necesse est, ut omnia, quæ constituunt ejus potentiam, talia sint, ut invariata stare possint cum actu opposito; est enim similitudo potentiae, etli non sit potentia simultatis: ergo ut fides, & opinio sint libera, necesse est, ut omnia, quæ ex parte actus primi requiruntur ad actum fidei, componi possint cum heresi formali: sed credibilioritas nostræ fidei prærequiritur ex parte actus primi ad actum fidei: ergo hæc ipsa credibilioritas nostræ fidei perstare debet, quando quis elicit hæresim formalem.

N. 375.

N. 376.

N. 377.

N. 378.

N. 379.

formalem; sed ea non perfistit; ergo nec fides, nec hæresis formalis sunt liberae. Nam ad actum fidei prærequiritur ex parte actus primi credibilioritas nostræ fidei, quæ credibilioritas nostræ fidei non prærequiritur ad hæresim formalem; immò ad hanc juxta Palanco prærequiritur credibilioritas articuli falsi: ergo nec fides est libera, quia tunc non datur potentia proximè expedita ad hæresim; nec hæresis est libera, quia tunc non datur potentia proximè expedita ad actum fidei. Idem dico de opinione, nulla enim erit immediatè libera, nam hic assensus, *licitum est pingere*, ita prærequirit ex parte actus primi motivum probabilius, ut motivum dissensus apparere simul debeat minus probabile: & hic dissensus, *non est licitum*, ita ex parte actus primi prærequirit motivum probabilius pro negando, ut motivum assensus apparere simul debeat minus probabile: ergo neque assensus, neque dissensus opinativus erit immediatè liber, sed tota libertas erit ad summum mediata; seu erit libertas assumendi modò motivum A ut probabilius, & motivum B, ut minus probabile; & e contra, modò motivum B ut probabilius, & motivum A, ut minus probabile: ergo tota libertas immediata erit circa motiva, non circa actus; nulla autem est ratio tribuendi libertatem immediatam circa motiva, & negandi circa actus, nisi præcisè, ut defendatur placitum, seu quòd intellectus assentiri non possit minus probabili. Addo talem fore opinantiù libertatem, qualis est hominis ligati in ordine ad motum; ut enim iste non est liber ad motum, nisi in sensu diviso à catenâ, ita homo non est liber dissentiri, nisi in sensu diviso à motivo probabiliori stante pro assensu.

Quintam impugno 1. quia do non esse licitum disputare, an Deipara sit sine labe concepta; quæro, an sit licitum in utramque partem opinari? Si non est, fateor argumentum nullum esse, ut dicam *disp.* 10. quia tamen hoc non docent M. Baro, & M. Mercorus, contra quos P. Moya ad hominem arguit; ideo contra illos est insolubile, supposita eorum doctrinâ; nam vel negare debent licitum opinari minus piam, quòd non negant, immò oppositum affirmant; vel si licet opinari minus piam, sequitur evidenter, quòd detur simultas probabilitatis utriusque opinionis, immò quòd liceat sequi minus probabilem, ut infra. Contra 2. quia non video, quomodo hæc duæ propositiones, quas Palanc. tradit n. 179. sint liberæ à contradictione. Non est de fide Deiparam fuisse primo animationis instanti immaculatam;

nec est de fide ejus Conceptionem esse eo instanti dignam cultu hyperdulæ: Est de fide Conceptionem Deiparæ esse sanctam, & dignam cultu hyperdulæ in eo instanti, pro quo, & in quo eam colit universaliter Ecclesia Catholica. Non, inquam, video; nam Ecclesia Catholica universalis, vel putat Deiparæ Conceptionem esse sanctam, & dignam cultu hyperdulæ pro instanti immediatè sequenti ad animationem, & sic non celebrat Immaculatam Conceptionem Deiparæ pro primo instanti animationis; hic autem sensus videtur alienus à sensu Fidelium, qui colunt immunitatem ab originali Deiparæ pro omni instanti; ergo pro primo, & non tantum pro secundo. Vel putat Ecclesia, Deiparæ Conceptionem esse dignam cultu hyperdulæ pro primo animationis instanti; tunc autem secunda propositio opponitur primæ. Contra 3. quia alibi Palanco declarat contra nos, quòd sine judicio directo de veritate rei, cum solo judicio de certâ probabilitate veritatis possumus licitè operari; hic autem ait, quòd PP. Dominicani hodie post Alexandri VII. Decretum, vel putent opinionem piam esse probabiliorē; vel saltem, quòd suspensò examine veritatis, & probabilitatis opinionis magis, & minus pie, celebrent Deiparæ Conceptionem. Hoc autem idem est ac dicere, quòd celebrent Conceptionem sine judicio prævio de veritate immunitatis à peccato; immò de probabilitate, aut probabilitate immunitatis à peccato.

Contra 4. Si redarguit P. Moyam, cò quòd dicat PP. Dominicanos adhuc post Alexandri Decretum sentire Deiparam esse cum originali conceptam; redarguit, inquam, quòd eorum interiora explorare velit; quomodo in hoc ipsum longè peius Palanco incidit, dum ait argumentum ex Deiparæ Conceptione à P. Terillo, & P. Moyà adductum, plus virulentie, quàm efficacie continere? Satiùs fuisset se emendare, quàm alios (præcipuè P. Moyam, & Terillum adeo benemeritos) virulentie in Religionem sanctitatis, & magisterio orbi toto celebrem culpæ. Ego sanè ejus indolis sum, ut nec levi N. dignarer aspectu P. Moyæ, & Terilli lucubrations, si scirem in clarissimam Religionem virulentos, sanctum enim apud me est, nemini sapientiæ lumen præluere, qui in integram Religionem aculeum exerit. Poterat igitur M. Palanco sibi temperare, alijs parcere, & argumentum solvere. Nam eo Deiparæ argumento utitur P. Moya ad hominem contra M. Baro, & M. Mercor. qui volunt probabilius sibi esse Deiparam cum originali

N.
384.
Palanc.

P. Teril.
P. Moy.

N.
385.

P. Moy.
M. Bar.
M. Merc.

N.
386.

originali conceptam; ait autem P. Moya, quod si hoc est illis probabilius, non poterunt colere Deiparam primo instanti creationis, & infusionis animæ in corpus ab originali præservatam, ut declarat Alex. VII. nam juxta eisdem illicitum est sequi minus probabilem. De cætero P. Moya magnâ cruditione jure merito asserit tom. 2. tr. 1. qu. 2. §. 2. certissimum sibi Deiparam sine labe conceptam, subdens, quod licet Alexander vetet, ne quis asserat, quod opinans Deiparam in peccato conceptam, sit Hæreticus, aut peccet mortaliter, non tamen vetat, ne quis ita sentiat. Hoc certum, quod sine peccato saltem veniali, non licet opinari minus piam. Vide P. Moyam loco citato n. 22. cui omnino subscribo, paratus ipsâ sanguinis effusione hoc Deiparæ privilegium tueri; & me d. 2. n. 130.

§. III.

Responsio P. Thyrsi.

SUMMARIUM.

Docet Hæreticum assentiri suo objecto, tamquam certo, quia nullus Hæreticus putat se Hæreticum, n. 388.
Docet, quod DD. Catholici suis opinionibus assentiuntur cum formidine; Hæretici, sine ulla, suis erroribus, n. 389.
Docet, quod si nostra fides proponeretur Hæretico, ut credibilior, & sui errores, ut incredibiles, non posset his assentiri, n. 390.
Docet omnem Hæreticum rogatum, cur sua secta adhareat, distinxisse, quia ea proponitur, ut certa, & nostra fides, ut falsa, n. 391.
Docet Hæreticum eo instanti, quo suos errores credit, non esse liberum amplecti nostram fidem, nec Catholicum, fidem Calvinianam, num. 392. 393.
Docet quemlibet nostram motiva penetrantem experiri, sibi impossibile esse dissentiri, & credere falsum, n. 394.
Docet actum fidei non esse immediatè liberum quoad specificationem, sed tantum quoad exercitium, n. 395.
Assignat discrimen, quod actus scientia est tantum liber quoad usum; actus fidei quoad usum, & exercitium, n. 396.
Ait judicium temerarium niti indicij judicanti gravibus, etsi ex passione, n. 397.
An suspicio sit peccatum grave, ex S. Thom. n. 398.
Docet judicium temerarium stare in certo judicio de malitiâ proximi, mixto indicij ex se levibus, sed ex passione gravibus, n. 399.
Docet, quod si temerè judicans cognosceret levi-

tatem fundamenti, eodem instanti inferret, & resarciret injuriam, n. 400.

Causa judicij temerarij ex S. Thom. n. 401.

Tota doctrina P. Thyrsi est suppositio sue conclusionis, n. 402.

Discrimen inter libertatem, quam P. Thyrs. & nos damus Catholico, & Hæretico, n. 403.

Falsum, quod Hæreticus non putet se Hæreticum; cur? n. 404.

Falsum, quod nostra ratio nimis probet, hic enim illud nimis est idem, ac magis, n. 405.

Falsum, quod si nostra fides est Hæretico evidenter credibilior, non poterit assentiri sue; cur? n. 406.

Certitudo, una est purè affectiva, & hæc convenit Hæretico; alia intellectnalis, n. 407.

Propria secta est Hæretico imprudenter credibilis, & prudenter incredibilis, n. 408.

Ut alijs virtutibus, ita fidei convenit libertas immediata contrarietatis, imò careret etiam libertate immediata contradictionis, fuscæ à n. 409. ad 412.

Rationes ex duplici damnatæ ab Immo. ibid.

Hæretico tantum abest, ut sua secta videatur credibilior, quin experientia docuit me oppositum, n. 413. 414.

Idem ex S. Thom. n. 415.

Hæreticus erit necessario Hæreticus, & Catholicus necessario Catholicus, n. 416.

Falsum, quod Hæreticus careat potentiâ proximâ credendi nostram fidem, n. 417.

Confunditur evidentia credibilitatis, quæ datur, cum evidentiâ locutionis, quæ non datur, n. 418.

Certitudo fidei unde, ibid.

Si fides non est libera libertate contrarietatis immediatæ, nec contradictionis, & nemo credendo meretur, n. 419.

Non dabitur judicium temerarium, nec peccatum formale judicij temerarij, nec in se erit peccatum, sed tota temeritas erit in passione, n. 421. 422. 423.

S. Thom. omnino contrariatur, n. 424.

Potest intellectus certitudine affectivâ tenere pro certo aliquid ex levibus indicij, & firmè assentiri firmitate affectivâ minus verisimili, n. 425.

Falsum, quod cognoscens se temerè judicare, resarciat injuriam, n. 426.

Assignanda est malitia formalis judicij temerarij distincta à passione, à qua oritur, num. 427.

S. Thom. est contra P. Thyrsium, nam ait, opinatur ex levibus, n. 428.

Contradictio P. Thyrsi, n. 429.

L Audatus Doctor disp. 3. à n. 21. nostras paritates ex peccato infidelitatis, & judicij